

ipsis, faciunt aliquando veram generationem metallorum.

*Ex eodem in 2.2.q.77.art.2.*

Si autem per Alchemiam fieret aurum, non esset illicitum pro vero vendere, quia nihil prohibet artem vti aliquibus naturalibus causis, ad producendum veros & naturales effectus: sicut August. dicit in lib.3. de Trinit. ca. 8. de his quæ arte dæmonum fiunt.

*Ex eodem in 2.2.q.96.art.3.*

Quod si simpliciter adhibeantur res naturales ad aliquos effectus producendos, ad quos putantur naturalem habere virtutem, non est superstitiosum vel illicitum ijs rebus vel effectis vti.

*Ex Suida, in dictione χημεία.*

Chemia est auri & argenti confectio: cuius libros Diocletianus conquisitos cremavit, propterea quod Ægyptij res novas aduersus illum moliti fuerant, quos duriter atque hostiliter tractauit: eodemque tempore libros de Chemia auri & argenti ab antiquis scriptos conquisiuit, atque incendit: ne deinceps Ægyptij arte illa diuitias compararent, neu pecuniarum abundantia confisi deinceps aduersus Romanos rebelarent.

*Ex eodem in dictione δέρας.*

Vellus aureum quod Iason per mare Ponticum cum Argonautis in Colchidem trajiciens accepit, & Medeam Ætæ regis filiam. Hoc autem non vt poetice dicitur, sed liber erat in pellibus conscriptus, continens, quomodo per Chemiam aurum conficeretur. Verisimile est igitur illos per id tempus vellus aureum nominasse propter fructum & emolumentum, quod ex eo libro percipi poterat.

*Ex Plinio lib.34 cap.4.*

Aurum faciendi est etiam vna ratio ex auripigmento: inueneratq; spes Caium principem auidissimum auri: quam obrem iussit excoqui magnum pondus: & plane fecit aurum excellens: sed ita parui ponderis, vt detrimentum sentiret, illud propter auaritiam expertus: quamquam auripigmenti libræ XIII. permutarentur: nec postea tentatum ab vilo est.

*Ex Cardano lib subtil.6.*

Quod tamen permutari metalla possint, multis visum est, ob experimentum æris iam superius adductum. Videntur et-